



Solo Favente Deo

117.
H.
19
SIGISMUNDUS
FINCKELTHAVS

I. U. D.

1618, 3

Feudales Controversias illustres,
DE IUDICIO FEV-
DALI.

Publicè discutiendas proponit
Disputatione Undecimâ & ultimâ:

R E S P O N D E N T E,

J O H A N N E H A R T. Cizense.

In auditorio Iureconsultorum.

Ad diem 22. Jan. Hora VII. matutinâ & seqq.



L I P S I Æ,

Excudebat Laurentius Cober.

Anno M. DC. XIII.

zi.

SIGISMUNDUS

FINCHELLHANS

I. U. D.

DEIVDICIO FEV

DALLI

JOHANNES HART

In nomine domini Amen

Ad honorem sancti Martini

Excelsioribus

1524

Excelsioribus

1524





I.



Ost modos constituendi & acquirendi vidimus varia Domini & Vasalli, itemq; amissionis & devolutionis jura. Restat ut ad Judicium feudale accedamus, in quo illustriores controversias nostras (1.) ad actiones (2.) ad personas, (3.) ad processum referemus.

II.

Gravissimorum Jure Consultorum scripta in quaestione hac illustri inter sese discrepant; ^{1.} *Actiones.*
An Interdictum unde vi Vasallo contra dominum competat? Affirmativa quidem opinio allegatur receptior, Negativa tamen nobis æquior, & cum ratione juris Civilis, textuq; feudali convenientior videtur.

Ratio (1) quia quamvis Interdictum unde vi ipso jure infamiam non importet, *l. neq; unde vi. 17. ff. de vi & vi arma.* quia tamen atrocitatem facinoris in se habet, *l. 1. § Interdictum hoc. 43. ff. d. t.* & apud bonos viros infamiam facti inurie.

A 2

arg.

arg. l. honori. 2. ff. de obseq. paren. & patro. prestand. Ideò hujus honestatis & reverentiæ potissimum respectu, adversus personas sanctas jure Civili non conceditur. *d. l. 2. §. 1. & d. l. 1. §. 43.* Quocirca & vasallus, qui devotè, benignè, & humiliter se erga dominum habere, *2. f. 23. vers. quomodo enim.* Et cui persona domini ob præstitum juramentum semper sancta & honesta esse debet, *2. f. 6. vers. honestum.* ab hoc interdicto, quod domini famam lædere potest, ut & ab omni alia gravi actione. *arg. 2. f. 24. §. Item qui 2. vers. Item si delator. 2. f. 33. §. 1. vers. similiter Vasallus.* sibi temperabit.

2) Per *text. 2. f. 22. vers. si verò vasallus.* Ubi Feudista non directò interdictum unde vi adversus dominum turbatorem concedit Vasallo, sed vult, ut solummodò conqueratur apud pares de domino, illisq; simpliciter factum enarret. Quo ipso Remedium seu actionem in factum verbis temperatis Vasallo præscribit. *arg. d. l. 1. §. 43. vers. meliusq; erit ff. de vi & vi arma. l. hi tamen. 11. §. 1 ff. de accusatio.* Curia verò dominum debitâ reverentiâ competenter cogere debet, ut vel possessionem restituat, vel iudicio curiæ se submittat. *d. 2. f. 22. vers. si verò Vasallus.*

III.

Præjudicialis actio utilis, an domino adversus Vasallum concedatur, si forsan ille neget se Vasallum esse domini, insignis est disceptatio. Probabilior est negativa.

Ratio (1.) est, quia negotium hoc magis ex consuetudine feudali, quàm ex lege Romana decidendum. *juxta text. 2. f. 26. §. Vasallus feudum.*

2) Quia vasalli non nisi certis conditionibus sunt dominis feudi obligati, suntq; omninò homines ingenui & liberi, ac interdum dignitate majori quàm domini feudi præfulgent, ut proinde non rectè à libertis ad Vasallos ducatur argumentum.

gumentum, præsertim quia in pluribus se habent ut exce-
dentia & excessa.

IV.

Petitio hereditatis num Vasallo de feudo
competat, in dubium à Dd. vocatur. Affirmant
Schneidew. Niellius, & Bocerus. Nos Nega-
bimus.

Ratio est, quia feudum ex pacto & providentia non con-
tinetur hereditate, sed ab ea planè diversum & distinctum est,
Unde & passim in Jure feudali feudum opponitur hereditati.
2. f. 45. §. si contentio.

V.

An dominus minorennis iudex esse possit ^{2.} *persona.*
in feudalibus controversiis, non inutiliter quæri
solet? Affirm. si 18. compleverit annum: quam-
vis hoc J. Civili valdè controversum sit.

Ratio (1.) est quia Veteres hanc ætatem moderatam
rati sunt ad procedendum in publicum. *l. 1. §. Initium. 3. ff. de
postulan. §. fua I. qui & ex quibus caus. manum. non poss.* Quod si
igitur major 17. annor. postulare, & de jure respondere pot-
est, *d. §. 3.* Utiq; & judicandi facultatem eidem concede-
mus.

2) *Per text. in l. quidam consulebat. 57. ff. de re judica.* Adducit
quidam & hoc: quod ex aurea Bulla Caroli 4. *tit. de successio.
Principum. tit. 7.* anno 18. completo, minor electoratum ad-
ministrare possit. Sed ab administratore Reipubl. ad Judi-
cem nostrum fortè non procedit illatio.

A 3

Quid

VI.

Quid si Fœmina feudum obtineat, potest-
né & illa, ut feudi domina, iudicis munere fun-
gi? N.

Ratio est, quia cùm hæc feudalis controversia in Jure feudali non reperiatur decisa, ex textibus juris Civilis erit decidenda. 2. f. 1. Jure Civili autem fœminæ iudices esse non possunt. *L. fœmina. 2. ff. de R. I. E.* nec poterit esse iudex inter convasallos de feudo litigantes.

Regula autem hæc officium suum perdit (1.) Si contra-
rium consuetudine sit receptum. *arg. cap. dilecti. 4. extra. de
arbitr.* (2.) Si fœminæ magistratus jure hæreditario competat.

3.) Si mulier speciali privilegio sive principis indulgen-
tia magistratum ac iudicandi munus meruerit, &c.

VII.

Perplexæ est controversia: Num viduæ, pu-
pilli, & aliæ miserabiles personæ jurisdictionem
domini in causis feudalibus declinare possint,
ita, ut omisso feudi domino adversarium co-
ram Imperatore convenire illis liceat? Et pri-
vilegium miserabilibus personis concessum in
L. Vn. C. quando Imperator inter pupill. vel
viduas. In iudicio feudali locum non habere,
sequentibus freti rationibus, existimamus.

Ratio (1.) quia consuetudines feudales solum dominum
agnoscunt Judicem feudalem: neq; hîc in personis Vasallorû
& litigantium distinguunt. 2. f. 55. §. 2. *vers. præterea.* Cui ge-
nerali regulæ standum est.

2. Quia

2.) Quia & clerici, quorum tamen in declinando iudice seculari favor est amplissimus, indistinctè iudicis feudalis cognitioni subjacent. *Cap. ex transmissa. 6. cap. verum. 7. extra. de foro competen.*

3.) Quia hodiè hujus privilegij in *d. l. Vn.* Usus in imperio nullus est, sed in Camera Imperiali jam dudum ab eo recessum: uti testatum faciunt *Geil. 1. obs. pract. 1. n. 40. Vult. ad d. l. Vn. n. 17. & 20. in sine.* Consuetudo igitur, quæ est optima legum interpres, hanc sententiam nostram approbat.

VIII.

Difficultate non exiguâ laborat: Quis sit
Judex in causis possessoriis? Disting.

Aut inter duos Convasallos agitur possessorio iudicio ad recuperandam possessionem, & cognitio ad dominum pertinet. *c. ex transmissa. 6. extra de foro compet. C. caterum 5. extra de Iudiciis.*

Ratio (1.) est, quia idem iudex esse debet causæ possessionis & proprietatis. *l. nulli. 10. C. de Iudiciis. C. 1. extra. de causa possess. & proprietat.*

2.) Quia generale est Rescriptum Friderici. 2. f. 55. §. 2. *vers. præterea ibi. si inter duos Vasallos de feudo sit controversia (sive ratione possessionis, sive ratione proprietatis) domini sit cognitio.*

Aut inter dominum & Vasallum agitur quæstio possessoria feudi, tunc cum communi concludimus, hanc controversiam parib. Curia committi debere. *Text. 2. f. 22. vers. si verò Vasallus.* Facit generalitas aliorum textuum. *2. f. 16. 2. f. 20. princ. 2. f. 39. §. si inter. 2. f. 55. §. 2. vers. si verò.* Ubi controversia inter dominum & Vasallum de feudo nata, per pares curia terminatur.

Notandum hinc in genere, de Iudice, quisnam competens sit in controversia feudali. Sanè si credimus Friderico
Scheneck

Schenck B. à Lautenberg *ad tit. 18. lib. 1. feud. diversa & planè repugnantia inveniuntur jura feudalia. Unde graviter etiam conqueritur Hotoman. in disp. feud. cap. 42. Varium & incertum jus in libris feudorum hac re de traditum esse.*

Difficultates autem hasce movent textus potissimum hi *1. f. 18. 2. f. 15. 34. 46.* Quos in ipso conflictu excutiemus, ita ut animus noster sit, non pugnam sed conciliationem cum textib. superiorib. ostendere.

I X.

Non levi contentione agitur: Si unus Vasallorum litigantium dicat feudum esse novum, alter antiquum: an apud dominum an pares curiæ quæstio hæc sit determinanda? Nos coram paribus curiæ finiendam arbitramur.

Tex. 2. f. 46. Ratio est, quia hoc casu de domini interesse & commodo agitur, proinde tanquam in causa propria iudex esse nequit. *arg. l. jurisdictioni 10. ff. de Jurisd. & t. r. C. ne quis in sua causa jud.* Tenetur enim de evictione. *d. text. 46.* Et licet de evictione non teneretur, verisimile tamen est, dominum contra suum factum, id est, Investituram novam nihil facile facturum esse.

X.

Num verò pares quoq; Curia judices sint, si de feudi solummodo promissione lis sit inter dominum & Vasallum, multis abhinc annis est controversa quæstio. Neg. sed coram ordinario loci Vasallus dominum conveniet.

Ratio (1.) quia feudum sine investitura non potest intelligi, *1. f. 25.* Et ante eam nec dominus nec Vasallus dicendus

us est, ut pote qui solius feudi intuitu ita rectè dicuntur. Si itaq; neq; dominus neq; Vasallus est, nec pares habebunt, quorum iudicio sese submittent. 2. f. 20. *vers. opponit.* Contractus igitur fuit Civilis, & ex contractu hoc Civili, forum quoq; Civile & ordinarium adendum.

Consequenter hîc iudex loci ordinarius, & non feudalis iudicabit.

2.) Quia actio personalis non constituit feudum, cum secundum tritam Dd. sententiam, aliud sit promittere, aliud infeudare.

XI.

Quamvis autem omnes pares curiæ sint Iudices, si inter dominum & Vasallum ratione feudi controversia oriatur, (a) sive sint ejusdem sive inferioris cum litigantibus qualitatibus & conditionibus, (b) quod tamen quibusdam displicet: Possunt tamen aliqui à domino & totidem à Vasallo eligi, (c) in qua electione prior est dominus. (d) Sed hîc quæritur, an consuetudo multis in locis recepta, quâ solus dominus eligit, probanda sit? Neg. (e)

a) Text. 1. f. 22. §. *Sancimus.* 2. f. 16. 2. f. 39. §. *si inter.* 2. f. 55. §. *Insuper 2. vers. si verò inter dominum.* Ratio est, quia non præsumuntur aliquid domino detracturi, cui fidelitate obstricti sunt, nec Vasallo consorti, cum sibi tantundem periculi impendere prævideant.

b) Ratio (i.) est, quia præcitati textus feudales simpliciter absq; ulla distinctione loquuntur, neq; differentiam faciunt inter pares inferioris & superioris conditionis.

B

2) Quia

2) Quia & Jure Civili inferior judex potest inter reum & actorem majoris dignitatis judicare. *L. est receptum 14. ff. de Jurisdiclio.*

3) Quia pares curiæ non inde nomen habent, quod eorum par status, qualitas, & potestas esse debeat, non etenim si Vasallus, cum quo lis vertitur, sit comes, pares judices etiã comites si baro, etiã barones esse oportet. Sed ita dicti sunt à paritate fidelitatis, seu quod pares & æquales sint inter se, in eo quod ipsorũ res feudales unius domini territorio & Curia subsint. *f. 26. princ. v. testes. & §. 1. ibi. pares de domo domini.* Quod si vero in eo dispares sint, etiam si unus existat dominus, pares Curia censi non debent. Exempli gratiã Vasalli, quorum alij in Curia Thuringica, alij in Francicã, feuda recognoscunt ab eodem domino, pares Curia non sunt propter Curiarum disparitatem. *Vvesenb. de feud. c. 17. n. 3. Speckhan questio. Juris ven. 2. clas. 4. quest. 35. n. 15.*

c) *2 f. 16. vers. si verò dissentiant.* Utriusq; igitur est electio: Ratio est, quia iniqui esset exempli, alterutri horum electionem deferre & committere. *arg. l. observandum. 47. ff. de Judiciis.* cùm ille sine dubio eos esset electurus judices, per quos se victoriã potiturum speraret.

d) *d. tex. 2. f. 16. vers. si verò.* Ratio est, quia dominus dignior est, unde prius eligit.

e) Ratio (1.) est, quia naturali & politicæ rationi id repugnat, siquidem dominus in causa quodammodo propria Judex contra æquitatem futurus esset. *l. 1. C. ne quis in sua causa.*

2) Quia dominus & Vasallus regulariter pari jure censeantur, nec alteri per alterum iniqua conditio afferri debet. *2. f. 6. vers. dominus quoq;.* Sed dominus istam inæqualitatem, puta electionem parium non esset permissurus Vasallo. E. & ipse eodem jure uti & paritatem servare debet. *t. t. ff. quod quisq; juris in alium.* Et ita in Camera pronunciatum esse testatur Geil. *2. obs. 34. n. 3.*

Non

XII.

Non inconvenienter hic quaeritur: An Procuratores ad Civiles causas constituti, etiam ad feudales dati censeantur, an verò speciali mandato opus habeant, ad hoc, ut legitimi in causis feudalibus habeantur? Speciale mandatum requirimus.

Ratio est: Quia in causis in quibus grave & magnum praedictum versatur, requiritur speciale mandatum. *arg. cap. fin. extra de Procurato. in 6.* Causas autem feudales graves & arduas esse, nemo, ut opinor, negabit. Alia ratio ab alijs, datur, quod nempe diversa judiciorum genera inter negocia Civilia & feudalina difertè constituentur.

XIII.

Numerus testium pro varietate probationis vel binarius est, (a) vel quinarium (b) An autem quinque testes requirantur saltem ad probandam vasalli feloniam in delictis erga ipsum Dominum, an vero etiam adversus alium admissis? Acris est dubitatio. Agentem sententiam defendemus. (c)

3.
Processus.

a) Si scilicet de probatione investiturae controversatur. *r. f. 26. § si quis se. ibi. nisi per duos pares. 2. f. 58. §. quod autem. 1. in fi. ibi. duos testes idoneos.* Ubi ratio adijcitur ex jure communi, quod aliàs duos ad minimum testes admittit, eò quod pluralis locutio duorum numero contenta sit. *L. ubi. 12. ff. de testibus.*

B 2

b) Si



b) Si videlicet de probatione felonix alicujus seu ingrati-
tudinis agatur. *tex. 2. f. 57. in fine.* Ratio hujus amplioris nu-
meri fortè consistit in gravitate hujus judicij, quippe ubi ma-
jus periculum est, ibi cautius est agendum. *arg. l. 1. §. sed sequis.*
5. ff. de Carbonia. edict.

c) Ratio (1.) est, quia dominus cautè agere debet cum
Vasallis, ne fortè per viles aut redemptos aut malevolos testes,
aut etiam pauciores Vasallos suos feudo temerè privare pos-
sit. *Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 761.* Debent enim inter
dominum & Vasallum omnia ex fide singulari agi.

2) Quia videtur etiam respectus habitus ad hoc, quod
domini potentiores levi fortè ex causa saepe offensi mille mo-
dos, ut Vasallos miseros exuant feudis, quærere soleant, quæ
ratio non minus stringit in uno quàm in altero casu. *Rosenth.*
c. 12. concl. 19. n. 19. XIV.

Quid si non ad ipsius feudi sed tantummo-
dò possessionis privationem agatur? Etiam tùm
quinq; testes requirimus.

Ratio est, quod non sit concedendum in Judiciis pos-
sessoris leviores probationes sufficere, cùm maximum com-
modum ac momentum sit possidere. *§. retinenda. 4. vers. com-
modum autem I. de Interdict.*

XV.

In quæstionem vocatur, sitné Domini &
Parium Jurisdictio ordinaria vel delegata? Et
verius est, ordinariam esse.

Ratio est, quia Jurisdictio quæ à lege seu consuetudine
conceditur, est ordinaria. *l. & quia 6. ff. de Jurisdic.* Sed Ju-
risdictio hæc domini & parium, illis à lege seu consuetudine
feudali tribuitur. *2. f. 55. §. Insuper. 2. vers. præterea si inter.*

XVI.

Hinc alia succedit controversia: Utrum
Juris-

Jurisdictione feudalis aliis mandari seu delegari possit? Quod contra communem negabimus.

Ratio est, quia non omnis Jurisdictione ordinaria mandari potest, sed ea tantum, quæ jure magistratus competit. *l. 1. ibi. quæ verò Jure magistratus. ff. de offic. ejus cui mand. est Jurisdictione.* Quæ verò specialiter & nominatim, lege quadam, seu consuetudine alicui datur, mandari seu delegari alij non potest. *d. l. 1. in pr. ibi. specialiter lege & c. ff. de offic. ejus* Sed dominus feudi Jurisdictionem feudalem non jure magistratus, sed feudi jure habet, lege scilicet sive consuetudine feudali nominatim & specialiter concessam.

XVII.

Est & hæc dubia quæstio: An Vasallus sine consensu domini Jurisdictionem alterius prorogare possit? N.

Ratio (1) quia hæc Jurisdictione Jure speciali ac per privilegium Paribus concessa est. *2. f. 55. §. insuper 2. vers. præterea si inter.* eamq; ob causam minimè est prorogabilis, cum privilegia extensionem non recipiant. Unde si fieret contrarium, fieret contra specialem legem & consuetudinem feudalem ac privilegium: Et per consequens non valebit quod actum est. *l. non dubium 5. C. de legib.*

2) Quia si vasalli facerent prorogationem, ut perjuri, domini utilitatem & honorem, negligerent, & cum injuria ipsius hoc facerent, in cujus patrimonio est ea Jurisdictione.

XIX.

Est & illa haud levis in hoc genere, & Dd. certaminibus clara concertatio, in qua quaeritur, utrum judex feudalis tanquam ordinarius

B 3

in

in causis feudalibus ut suspectus allegari & in totum removeri possit, an verò ad hoc solummodo, ut ei alius adjungatur? Nos tàm dominum quàm pares, si suspecti probentur, planè removendos putamus, & tùm judici loci ordinario judicium deferimus.

Deficit hac in parte jus nostrum consuetudinarium, nulli enim in jure feudali, nec, ut putat Sonsbec. *in tex. 2. f. 46.* hæc quæstio deciditur. Ideò meritò pedem referimus ad jus Civile. *arg. tex. lib. 2. f. tit. 1. vers. strenuus*: In quo tamen ipso Civili jure ad huc valdè fluctuant Dd. animi. Eorum verò opinio prævalere videtur, qui ordinarium judicem etiam in totum summoverti concludunt.

Ratio (1) est ex *L. apertissimi. 16. C. de Judiciis*, quæ quidem quoad propositam consultationem & facti speciem agit de delegato, quod is recusari possit, sed qui inde subsumere velit, ordinarium recusari non posse is certè ad rationem Justiniani attendere non videtur, quæ est generalis, & manifestè etiam ordinario convenit, scilicet quod sine suspitione omnes lites procedere debeant. Coram suspectis enim litigare perquam periculosum est, *Cano. quod suspecti. 15, causa 3. q. 5. cap. cum inter. 5. extra de Exception. maximè cum, ut vulgari jactatur proverbio: Plus valet favor in judice quàm lex in codice.*

2) Per *Nov. 86. cap. 2.* Ubi non præcisè Archiepiscopus clarissimo judici, *id est*, ordinario adjungi debet, sed tantum in gratiam litigantium cavetur, ut ipsi alius associetur, ne subditi cogantur ob suspensionem judicis à patrio judice recedere, & alibi querere judicem. Sic igitur apparet totum illud ex arbitrio litigantium pendere, utrum vel judicem ordinarium recusare, vel ipsi alium adjungi petere velint. *Ut vel*

vel hic textus, qui tamen ab adversariis solet adduci, illorum opinionem magis oppugnet, quam propugnet.

3) Per *L. si pariter. 9. ff. de liberali causa.* quam Niell. *disp. f. 10. 9. 2. lit. f.* accipit de delegato, ob verba: ad eundem iudicem mittetur. Solebat enim, inquit, fere semper prætor iudicem dare. Sed nos *d. l. 9.* sic inducimus: prætor in Urbe Roma fuit ordinarius libertatis iudex. *l. 1. C. de offic. prætorum*, ut in provinciis præses. *l. 1. C. ubi causa status. l. cum status s. C. de ordi. cognitio.* Et tamen potest recusari. *d. l. 9. E. &* quis alius ordinarius. Quod verò dicitur ibidem ad eundem Iudicem mittetur, hoc hunc sensum habere videtur: Olim aliquot fuerunt prætores, etiam in causa liberali, quod innuit *l. pomponius. 36. ff. de re iudic.* Si itaq; Usufructuarius coram uno prætore, qui ipse cognoscere in causa liberali debet *d. l. 1. C. de officio prætorum* agere inceperit, postea supervenerit proprietarius, hic non alium prætorem adire debet, sed si quem alium adierit, ab hoc ad eundem priorem prætorem mittendus est, qui in causa Usufructuarij aditus erat, idq; ob continentiam causæ, *L. nulli 10. C. de iudic.* nisi afferat proprietarius causam ad alium prætorem, cur prior aditus prætor ab Usufructuario non possit in sua causa iudicare, scilicet ob inimicitias.

4) Quia Jus Canonicum in *cap. si quis 4. extra de foro comp. c. cum speciali. 61. ex. de appellat.* cum Jure Civili consentit. quorum pugnantiam non facile admittendam esse omnes scimus *cap. 1. extra de novi operis nunciat.* Si tamen consuetudo est in contrarium, ut hodiè apud nos, illi non immeritò standum. Rosenthal. *cap. 12. concl. 4. n. 62. ibi. nisi tu talcm esse consuetudinem ostenderis.* Hæc igitur ex Jure Civili & Canonico ad iudicem feudalem rectè accommodabimus.

XIX.

Dissensionis plena & satis divexata est questio

stio: Possitne hodiè Vasallus dominum absq;
petitâ prius speciali venia in jus vocare? Affir-
mantibus subscribimus, qui de opinione com-
muni, moribus Germaniæ comprobata, & in
provinciis Saxonis observatâ testantur.

Ratio (1) Quia jure feudali nusquam cautum est, ut Va-
sallus cum venia dominum in jus vocet. E. istis ambagibus
Juris Civilis opus non erit: Affirmantiq; contrarium incum-
bet onus probandi.

2) Quia reverentia, quæ à Vasallo debetur domino,
hodiè per citationem non læditur, cum nunquam nisi magi-
stratus auctoritate fiat.

3) Quia non est, quod metuat dominus de famosa a-
ctione instituenda, nam etiam absq; speciali veniæ impetra-
tione judici liquet de actione, quæ non aliter hodiè decerni-
tur citato, nisi ex editione libelli appareat, actionem com-
petere.

XX.

Jure feudali peculiare est, nec Vasallum
à Domino, nec dominum à Vasallo calumniæ
juramentum exigere posse, quod posterius post
Donellum, etiam alij vehementer impugnant.
Nos à communi & textu manifesto, & ejus ra-
tione æquissima stamus (a) Neq; interesse pu-
tamus, juramentum fidelitatis à vasallo præsti-
tum sit nec non. (b)

a) Text. est 2. f. 33. § 1. *ibi. quod etiam à parte domini.* Ratio
nobis hæc unica & vera videtur, Reciproca videlicet fides,
quæ

quæ est inter dominum & Vasallum, quæ non patitur sinistram suspicionem de Calumnia inter ejusmodi personas concipere. Sic consequenter iniquum esset, dominum aliud jus statuere in Vasallum, quàm quo ipse teneretur. *L. 1. & l. 2. ff. quod quisq; juris.* si quidem ut alibi dicitur, dominus fidei suo vicem in omnibus reddere debet, *2. f. 6. vers. dominus quoq;.*

b) Rat. (1) quia *d. tex. 2. f. 33. §. 1.* planè non distingvit, an juramentum præstitum sit nec ne.

2) Quia juramentum hoc non propter juramentum fidelitatis remissum, sed propter arctissimum fidei vinculum, quod inter dominum & Vasallum intercedit, omittitur, etiamsi fidelitas præstita nulla fuit.

XVI.

Nimiùm implicatos tenet Dd Num pares curiæ judicaturi sub præstita fidelitatis religione judicare, an novum juramentum quod judices de rectè judicando, jure communi deponere solent, præstare necessum habeant? Alij indistinctè novum requirunt: Alij ex forma fidelitatis illud decidendum esse existimant. Alij indistinctè juramentum novum reprobant, quibus nos subscribimus.

Ratio (1) est, ex *tex. 2. f. 55. §. 2. vers. fina. ff. verò. ibi: sub fidelitatis debito.* Ubi satis est, quod dominus pares sub fidelitatis debito, non autem sub debito rectè judicandi conjuratos in vim juramèti præstiti requirat, ut causam cognoscant, eandemq; secundum jus & æquum sententiæ prolatione terminent seu definiant.

2) Quia inter sex illos juramenti fidelitatis articulos etiàm hoc continetur, sub verbo: honestum: ne Vasallus domino sit in damno de justitia. *2. f. 6.* Si igitur Vasallus in Jura-

Q

men-

mento fidelitatis promissit, domino suo justitiã administrare, id fieri nequit, nisi & adversæ parti jus reddatur. E. per juramentum fidelitatis hoc quoq; juramentum de rectè judicando præstitum intelligitur, censeturq; tam domino quam simul etiam parti alteri litiganti juratum esse.

3) Quia si paribus juramentum fidelitatis remitti, ipsiq; ad novum juramentum de rectè judicando cogi debent, propter suspicionem affectionis, quam pares erga dominum ob juramentum fidelitatis habere præsumuntur, tollendam, sequitur, ut multò magis is Vasallus qui domino nondum juramentum fidelitatis præstitit, pro pari sit eligendus, cum in eo suspicio ejusmodi prorsus absit. Sed posterius fallum est. per *tex. 2. f. 16. vers. fina. Ille tamen. E. & prius.*

4) Quia tam arctè obligatus est domino propter præstitam fidelitatem, ut etiam arctiori viculo puta novo Juramento constringi non possit. 2. f. 6. 7. Aliud in terris Saxonice in praxi observatum tradunt, & præjudiciis confirmant Schrad. *de feud. p. 10. sect. 11. n. 105. Coler. p. 1. decis. 294. n. 3.* Observandum tamè hïc, ritum & modum procedendi de jure Saxonico in judicio feudali sublatum esse in Electoratu Saxonie, per *Const. Elect. 27. par. 1.*

XXII.

Non est usq; quaq; expeditum an Reconventio in Jure feudali locum habeat? Crebrior & verior est sententia, in causis peræquè feudalibus reconventioni locum esse, in aliis verò quàm feudalibus illam admittendam non esse.

Ratio (1) est, quia Jurisdictio feudi limitata est ad causas, certarum qualitarum, specierum, certæq; naturæ, idèò cum judici feudali nulla competat Jurisdictio extra causas feudales, non immeritò ultra eas ipsi evagari non licet, limitata siquidem causa limitatum producit effectum.

2. Quia

2) Quia in *L. cum Papinianus. 14. vers. fin. C. de sent. & inter loc. om. jud.* dicitur, quod cujus in agendo quis servat arbitrium, eum habere & contra se judicem in eodem iudicio non dedignari debeat. E. aliud obtinet, si negotium non sit idem sed diversum, ut hinc, ubi summa est discrepantia inter causam feudalem & aliam controversiam, cum feudo nihil commune habentem.

XXIII.

De temporibus appellationis interponenda, & prosequenda, diversae quoque sunt sententiae. Quidam feudali appellationi sex septimanas praefiniunt. Alij jus Civile sequuntur, quorum sententiam nos approbamus.

Ratio est, quia nihil speciale in Jure feudali, ratione temporis, cum quoad interpositionem, tum quoad prosecutionem, reperitur. E. jure communi non immerito utimur. 2. f. 1. vers. *Strenuus.*

Jure autem Civili appellatio intra decem dies interponenda. *Novell. 23. cap. 1.* Intra annum vero regulariter, vel ex justa causa, intra biennium prosequenda est. *Nov. 49. in praefat. §. 1.*

XXIV.

An res judicata agnato, feudi successoribus non citato noceat, plena difficultatum occurrit dubitatio. Affirmativa verior & receptior est.

Ratio (1) est, quia sufficit, ut citatio, litis examinatio & totum iudicium dirigatur ad eum, qui principaliter & tempore iudicij jus in re habet, non etiam ad eum, qui ex consequentia, secundo, atque ex post facto ob aliquam causam
jus

ius habere potest. *arg. l. 1. §. denunciari. 14. ff. de Ventr. infig.*
ubi sufficit illi denunciare, ad quem prima successionis cau-
sa pertinet.

2) Quia sententia lata contra institutum heredem tan-
quam primum possidentem praesentem nocet substituto, ad
quem hereditatem postea devolvi contingit, nisi dolo aut
culpa heredis condemnatus sit. *L. ex contractu. 44. ff. de re judi-*
ca. quod accomodari potest ad rem praesentem: nam ut substi-
tuti ius habent a testatore, non ab herede, sic & agnati ex pri-
mo investitore non ex Vasallo, qui possidet. Et ut ibi
excipitur culpa, ita & hic casus excipi potest,
nisi culpam possessoris feudi lata
fit sententia.

Sit puero JESU gloria summa DEO.



Leipzig, Diss., 1593/1613

ULB Halle
004 954 793


3



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Deo ^{42.}

NDUS HAVS

19

1618, 3

Gas illustres,

IO FEV-

*s proponit
& ultimâ:*

N T E,
*R T. Cizense.
nsultorum.
matutinâ & seqq.*



Æ,
ntius Cober.

C. XIIIX.

zi.

